

culos necessarios lubentes, neque ad id Synodo est opus. Posteriori autem, non necessariam, temerariam, captiosam, iniquam, inutilem, noxiam, imò quodammodo impossibilem hujusmodi determinationem esse merito existimant. Paralogismus ergo Fratrum est, quasi manifestè hinc doctrina Protestantium vacillaret, nihilque in his omnibus admirandum, nisi illud ipsum quòd quæ facile poterant conciliari, tantopere mirentur.

ADMIRANDUM III.

Sed admirandum imprimis est, quomodo Protestantes adversus testatissimum consensum primitivæ Ecclesiæ, Seniores suos, quos volunt esse Episcopos, infra ordinarios Pastores collocent, quibus nec nomen Presbyteri, nec nomen Episcopi concedunt. Quid enim magis patet ex praxi antiquitatis, quàm Episcopos in Ecclesiis particularibus, primum locum inter Ministros tenuisse?

I.

Hic verò *admirandum imprimis* certè est, quòd Viri auctoritate & ingenio præstantes, vel adeo negligenter, vel adeo captiosè, in re liquida fuerint verlati. Terminis enim lusisse ut dicam, nec illorum, nec argumenti gravitas, permittit. Distinguantur nempe voces *Episcopi* & *Presbyteri* ambiguarum, prout ab ipsismet quadantenus fit, & quodnam tum supererit admirationis argumentum?

II. *Seniores, Laicos nempe, quos Protestantes infra ordinarios Pastores collocant, iidem volunt Episcopos esse, si hanc vocem appellativè sumas eâ latitudine quâ apud Græcos usitata est, ut sit idem quod σκω-
τός.* Nempe qui curam alicujus rei gerit, ad illam attendit & anne omnia ex præscripto fiant speculatur, cujusmodi Pericli Atheniensi in Reip. Administratione *Episcopus* Phidias erat, de quo *Plutarchus in Pericle.* Πάν-
τα δὲ διεύπειρε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας. *Omni-um dispensator & arbiter illi erat Phidias.* Sic *Act. XX. 28.* hoc sensu omnes presbyteros Ephesinos à Paulo Miletum evocatos ἐπίσκοπος seu *episcopus* dici, ita ut ad presbyteros non laborantes in verbo æquè ac ad laborantes seu pastores propriè dictos id sit extendendum, totus contextus evincit. Neque illorum officium aliud est nisi talis ἐπίσκοπος & cura quâ cum Pastoribus disciplinam Ecclesiasticam exercent & omni nisu provident ut

B

in